

L O G I C O R U M
L I B E R Q U A R T U S
De
D E F I N I T I O N E.

Cap. 1. Definitum in genere.

Sic se habet argumentum simplex sive incom-
plexum: sequitur complexum.

Argumentum complexum est, quod dirigit
materiam ex quâ disferendum est, tanquam termi-
nus in dispositione.

Estq; tum definitio, tum distributio.

Nova hæc alicui videri possit sententia, quòd definitio
& distributio accensentur terminis complexis. At firma ra-
tio hoc suadet. Consentunt Logici majorum gentium in
hanc definitionis definitionem: Definitio est oratio, quid
res sit declarans: vel est oratio, quæ essentiam aliquam de-
clarat. Si est oratio, utique non est terminus simplex. Hæc
enim *ἀσύνθετος*. Esse autem orationem, inde patet: quia u-
num tantum nomen non potest esse definitio. Nam defini-
tio distinctè debet subicere intellectui, quod nomen defini-
ti confusè proponit. Unde cùm de omni essentiâ, quæ defini-
tione explicatur, duo conceptus formari possint; alter conve-
nientiæ, quo essentia, quæ declaratur, convenit cum aliis; al-
ter differentiæ, quo ab eisdem distinguitur; fit necessariò, ut
omnis definitio duab. minimùm vocibus constare debeat;
alterâ, quæ gignat in mente conceptum convenientiæ; alte-
râ, quæ distinctionis. Objicis illam definitionem peccati,
quæ est Johannis Apostoli: *ἡ ἀμαρτία ἐστὶν ἡ ἀνομία*, ubi uni-
ca vox est. Sed tenendum, unicâ istâ voce contineri & genus
& differentiam. Complectitur enim & materiale peccati,
quod est actio, & formale, quod est illegalitas.

Definitio &
distributio
sunt termi-
ni cõplexi.

S